

FERIA SECUNDA POST TERTIAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. IV, VERS. 23

23. Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum; quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.

24. Ait autem : Amen dico vobis : quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.

25. In veritate dico vobis : Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex, cum facta esset fames in omni terra.

26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.

27. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.

29. Et surrexerunt, et eiecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat edificata, ut præcipitarent eum.

30. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

VERSUS 23.

Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum, quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.

Utique dicetis mihi hanc similitudinem.

1. — Corda Phariseorum penetrans, et ad ea, quæ intus cogitabant, pertingens, idipsum manifestat. « Profert Jesus in medium quæ sciebat, illos animis agitare, » inquit Lucas Brugensis, « et occurrit objectioni quam meditabantur, quam et verbis certe prodidissent, nisi prevenisset Jesus. » In quam pariter expositionem S. Bonaventura consentit, dicens : « Dixit ergo hoc ironice : Proponitis contra me, quod occulte in cordibus vestris concepistis. » Et Albertus Magnus dicit : « Ait illis, ex cogitationibus eorum. »

Medice, cura teipsum.

2. — Titus Bostrensis, cuius auctoritatem Glossa adducit, verba hæc usitata quoddam apud Hebræos proverbium esse existimat : « Ut medicos in « morbum prolapsos, facto hoc dicto : Medice, cura « teipsum, quidam exciperent. » Eandem quoque observationem S. Bonaventura habet, dum ait : « Quod consuevit dici medicis infirmantibus, cum « sibi subvenire non possunt, aut nesciunt, aut negligunt, quod est ipsorum derisorium verbum; » hoc igitur proverbium ad Christum applicando dicere voluerunt : « Sic et tu teipsum, id est, infirmos tuos, hoc est, patriæ tuæ, cura; » idque potius per incredulitatem, et modicam, quam habebant fidem, et per derisum, quam ex devotione et affectu, quo in ipsum ferebantur, siquidem cla-

rum est ex Evangelio testimonium, quod nulla in patria sua miracula fecerit, propter eorum incredulitatem; ac proinde Bedam in Glossa relatum citat, dicentem : « Frustra opem misericordiæ cœlestis expectas, si alienis virtutibus invidias; « aspernatur est enim Dominus invidiorum. »

3. — Dionysius Carthusianus ipsos in discursu suo dicere voluisse existimat, quod si verum esset ipsum vera operari miracula, decens profecto fuisset, ut prius et ante omnes alios se in patriam et patrias suos beneficium exhiberet, quam in externos, quodque idipsum non faciens, satis se talem non esse insinnet, qualem se esse assererat : « Cum « ita non agas, concluditur, quod vel insipienter, « vel inordinate te habes, vel quod tua miracula « non sint vera miracula. » Porro similitudo a Christo adducta, ut Lyranus ponderat, in hoc consistit, quod sicut expertus aliquis medicus potius et libentius semetipsum, et alios ipsum proxime contingentes sanat quam extraneos; ita quoque dicere volebant, si tu verus Propheta esses, miracula quæ passim operaris, primo tuis et postea aliis impenderes; Dominus autem noster hoc illorum argumentum per proposita in Evangelio viduæ Sareptanæ et Naamani exempla elisit.

4. — Hugo Cardinalis verba hæc quoad illos exponit, qui spiritum et perfectionem, quam aliis inserere satagunt, in seipsis negligunt : « Teipsum « primum quam alios; Rom., II, 21 : Qui alium « doces, teipsum non doces. Eccli., xxxiv, 4 : Ab in- « mundo quid mandabitur? » S. Gregorius ait : « Sordes tergere manus non valent, quæ hitum « tenent, ideo dicitur, Esdr., xii, 30 : Mandati sunt « Sacerdotes et Levitæ, et mandaverunt populum. »

5. — S. Antonius Magnus præclarus Magister

vite spiritalis, ait : « Patres antiqui egressi sunt « in desertum, et ipsi sani effecti, facti sunt medici, « et reversi alios sanaverunt. » In collationibus Patrum Abbas Joseph hæc nobis doctrinam tradit : « Non tolerare poterit aut curare languentem is, « qui similiter ægrotat, sed ille medelam tribuit, « qui imbecillitati ipse non subiacet. » Auctor Imperfecti considerat, quod Christus octo beatitudines annuntiaturus, montem sublimem ascenderit : « Ut « ostendat nobis, quoniam in altitudine spiritua- « lium virtutum consistere debet, qui docet justi- « tiam Dei; nemo potest in valle stare, et de monte « loqui; ubi stas, inde loquere : Si autem in terra « stas, de terra loquere, si autem de coelo loqueris, « in coelo consiste, ut dicas cum Apostolo : Nostra « conversatio in cœlis est. »

6. — Toletus similitudinem hanc a medicis desumptam esse dicit, qui alios curantes propriam negligunt salutem : « Generaliter applicatur iis « omnibus, qui cum aliis prosint, sibi prodesse negligunt. » Magna profecto ponderatione digna sunt illa incretæ Sapientiæ verba, Matth., xvi, 26 : *Quid prodest homini, si universum mundum lucratur, animæ autem suæ detrimentum patitur?* Quod si enim aliquis omnes totius mundi animas Deo lucraretur, suam vero propriam negligeret, quamnam inde utilitatem talis reportaturus esset? *Quid prodest?*

7. — Operarii illi, qui tot annis in arca Noetica fabricanda laborarunt, hosce quidem labores profecti illius viri familia, una cum ipso et tot aliis animalibus salvandis subierunt, cum tamen ipsi foris extra predictam arcam remanentes, in diluvio submersi fuerint. Unde S. Augustinus, *Serm. II de Epiph.*, ait : « Similes facti fabris arce Noe, quia « aliis ubi evaderent, præstiterunt, et ipsi diluvio « perierunt. » Idem sepe numero nonnullis accidit religiosi, quia per suas predicationes, confessionum auscultationes, et alia similia studia; item per asperitatem et exemplaritatem, licet solum externam, vitæ suæ, adificationi et adjutorio sunt multis animabus, ut salventur, cum tamen ipsi per hypocrisis, vanam gloriam et alia peccata demerentur, Rom., II, 1 : *Inexcusabilis es, o homo, in quo iudicis alterum, te ipsum condemnas;* quid enim pro sui excusatione in die iudicii coram tribunali constitutus Dei illius, cui in veritate dicitur : *Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum, dicere poterit?* quid, inquam, dicit, si tot animas laboribus et sudoribus suis Deo lucratus, de anima propria salvanda nec minimum cogitavit? Facet et tædæ aliis preluendo, ipsemet consumuntur, et in ignem et fumum penitus resolvuntur; eodem modo multi sunt, qui plurimis animalibus in via Dei lumen communicarunt, eisdemque velut duces et directores ad cœlum ingrediendum obsecuti fuerunt, cum tamen ipsimet per propriam malitiam, viam

sibi ad tenebras exteriores, ignemque infernalem statuerint. S. Thomas ait : « Iste sunt epistolæ sive « litteræ Urise, de quo loquitur, *Ib. II Reg., cap. I,* « quod portaverit litteras mortis suæ; tales portant « litteras, qui sciunt, et docent, et non faciunt. » Chrysostomus quoque ait : « Grandis condemnatio « est, sermonem quidem suum componenti, vitam « vero suam atque operam negligenti. » Utique illi, qui neglecta salute propria, aliorum salutis procurandæ deditus fuit, in veritate dici poterit : *Ex ore tuo te iudico.*

8. — S. Bonaventura ait : « Nota quod ironice « vocant medicum, quem veraciter deberent confi- « teri medicum, secundum illud : *Ipse vulnerat et « medetur.* » De hoc cœlesti protomedico S. Augustinus ita scribit : « Magni languores, sed major me- « dicus; omnipotenti medico nullus languor insa- « nabilis occurrit; tantum tu curari te sine, manus « ejus ne repellas, novit quid agat; non tantum « deleteris cum fovet, sed etiam toleres cum se- « cat, tolera medicum futuram cogitans sanita- « tem. » Ipse est medicus, qui non corpora tantum, sed et animas sanat, qui majorem sollicitudinem suam non in vita et salute corporali, sed spiritali et æterna procuranda adhibere consuevit.

Quanta audivimus.

9. — Didacus Stella circa hæc verba ingeniosam affert observationem, dum ait : « Non dicunt : « Quanta scimus, sed *quanta audivimus*, ut ostendat, se non nihil dubitare, an vera essent, ut dicebantur. » Interlinearis verba hæc ita glossat : « *Quanta audivimus*, quod incerta fama vulgavit; » ex quo loquendi modo Phariseorum satis colligitur, neminem illorum Christum prædicantem subsecutum fuisse, prout alias tot aliæ civitates Judææ et Jerusalem faciebant, sed tantum tractasse ipsos de auditis per relationem aliorum, de miraculis ipsius; imo ulterius exinde deducitur, nullam in ipsis erga Christum fuisse devotionem, nec dictis ejus ullam adhibuisse fidem.

10. — Porro causam, cur Christus erga suos compatriotas beneficium se non exhibuerit, S. Marcus, vi, 3, expresse subindicat, dicens : *Non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impotens manibus curavit, et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Interlinearis in persona Christi dicit : « Ideo non operor inter vos, quia vos increduli, non « quia patriam oderim, cui beneficium meæ nati- « vitatis contuli. » Didacus Stella ait : « Quamvis « majus miraculum in hac civitate fuerit factum, « quam in Capharnaum, nam hic verbum divinum « assumpsit humanam naturam. » Hæc igitur impotentia non a Christo, sed a Nazarethanis derivata fuit; ut Albertus Magnus ait : « Impeditur enim « hoc eorum incredulitas, et indevolvi, quia in « fide devote non pelebant, et ideo quod Deus po-

« lerat de potentia absoluta, non poterat de iustitia, » adducitque auctoritatem S. Augustini, expresserit scribens, quod, quando Christus corporaliter aliquem sanabat; eundem quoque effectum in anima illius sanati operabatur; et ideo Joannes, vii, 25, dicit: *Totum hominem saltem feci*; « et quia « interius sanari ab ipso noluerunt, ideo indigni « fuerunt, quod exterior sanitas præsaretur illis. » S. Bernardinus observat, quod Nazarethani tanquam unius et ejusdem patriæ cum Christo consortes, majori fide et veneratione Christum merito prosequi debuissent, quam omnes alii; et tamen « ex infidelitate et animo contradicendi, et detrahendi, et contemnendi, dicunt ei: *Quanta auditus vimus facta, etc.*, quasi dicere velint: nisi aliqua « magna mirabilia feceris, fama tua videtur falsa, « et ideo non tibi credemus. »

11. — Porro sacri expositores præter jam dictam incredulitatem, alias adducunt rationes, ob quas Christus patriæ suæ miraculorum gratiam subtraxerit. Et quidem in primis Matthæi, xiv, 29, dicitur: *Omni habenti dabitur, et abundabit, ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo*; quasi diceret: Qui Dei beneficiis correspondet, et cooperatur, easque grata mente agnoscit, et in pretio habet, novis denovo gratis cumulabitur; at vero ab eo, qui illa contemnit, et flocci facit, ea qua actualiter possidet auferentur. De Nazarethanis magis quam de quibuslibet aliis verificatur illud, Joan., i, 11: *In propria venit, et sui eum non receperunt*; etenim civitatem Nazareth singularissimo illo et eximio incarnationis beneficio, in salutem humani generis consummato, specialissime honoravit, nobilissimamque legationem a supremo sanctissimæ Triadis consistorio expeditam, inter omnes alias totius mundi nobilissimas civitates ad illam misit, Luc., i, 26: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*; ac proinde Nazarethani cives merito gloriarī et dicere poterant, Joan., i, 14: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*; siquidem ibi educatus fuit, et per triginta tres annos una cum sanctissima Matre sua et S. Josepho, qui alia quedam in terris sacrosancta Trias ad æmulationem ejus, quæ in celis est, vere existerent summa cum vite exemplaritate et sanctitate conversari voluit, et tamen suos in eum oculos minime direxerunt, nec quidquam illos æstimarunt, nec majoris quam alios vulgares homines fecerunt, sed tantum quando illum alibi miracula patrare audierunt, tunc pridem ab ipso postularunt, ut cum se, qualem ipsum fama vulgabat, reipsa esse probaret. S. Joannes Baptista pro vero, in lege promisso Messia habitus et agnitus fuit, tametsi nullum unquam patrasset miraculum, solum ideo, quia vita ejus continuum miraculum erat; de Christo autem idipsum longe verius affirmari poterat, præterquam quod insuper infinita

patrarit miracula, omnem mortalitatis nostræ spernam longissime excedentia, ac proinde ingratis et incredulis compatriotis suis Nazarethanis jure merito impropere poterat, dicendo, Joan., xv, 9: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me*. Certum quoque est, quod nonnullis in patria sua infirmos sanavit, et tamen nullam habebant illorum beneficiorum acceptorum memoriam, aut vero beneficia illa flocci faciebant; vel etiam, quod ingratis hominibus proprium est, valdeque familiare, quia id, quod sibi ab eo se impetratos esse præsumptuose promittebant, obtinere non potuerunt, beneficia superiori tempore recepta a memoria penitus deposuerant, suumque benefactorem contemnebant. B. Laurentius Justinianus, lib. de *Humil.*, ait: « Obstruit contra se ostium divinæ bonitatis, misericordiarum Dei exsiccat fontem, » ubi de ingratitude loquitur.

12. — Ex quibusdam Bedæ verbis clare deducitur, compatriotas Nazarethanos derisisse Salvatorem, et per solum Iudibrium, miracula ac prodigia ab illo postulasse. Dicit enim Venerabilis hic Doctor: « Qui ab irridentibus quidem civibus, seipsum « curare, hoc est, in sua patria virtutes facere monetur; » ideo quoque fabri filium ipsum, prohi loco appellarunt, *Matth.*, xiii, 55: *Nonne hic est filius fabri, et mater ejus dicitur Maria?* ac proinde justissime et ipsi in sua postulatione merebantur derideri, infirmique et agonizantes ipsorum, communis pietatis et beneficentie Salvatoris beneficio destitui. Deus etiam per os Sapientis, *Prov.*, i, 24, ita loquitur: *Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; desperavisti omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis*; cum autem verisimillimum sit, quod in solidis illis triginta tribus annis, quibus in Nazareth commoratus fuit, maxima cura, zelo et sollicitudine salutem ipsorum promovit, ideo ex quo illum contempserunt, merito hoc Dei comminationem, *Prov.*, i, 26, fuere promeriti: *Ego quoque in interitum vestro ridebo et subsannabo*.

13. — Toletus aliam quamdam in ipsis malitiam his verbis detegit: « Non hi miracula fieri « apud se cupiebant propter fidem, sed propter « ambitionem quamdam aut curiositatem, » miracula enim in Nazareth ab ipso patrari postulabant, ut ad civitatem ipsorum concursus essent omnium populorum, propter ostentationem et vanitatem, ut ipsum in ea civitate natum et educatum fuisse gloriarī possent: ecce quam sit sagax studium emolumentī; triginta illis annis, quibus donum miraculorum et Divinitatis sue lucem absconderat, ipsum ne quidem obiter aspicere digni fuissent; modo vero, quia ipsum patriam suam per miracula illustrare posse sperant, ipsique utilitatem inde nascituram evidenter vident, ipsum invidunt, et tanquam Prophetam, et hominem omnem huma-

nam conditionem superexcedentem magni æstimare et honorare incipiunt, ipsamque, ut miracula faciat, requirunt.

14. — Alia quoque causa hoc loco assignari potest, cur inter suos miracula facere detrectarit, et externis potius beneficia sua impendere studerit; nimirum ut nobis insinuaret, quod vel maxime in rebus, animæ salutem et cultum divinum attentibus, a carne et sanguine omnino alieni esse debeamus, *Psal.* XLIV, 12: *Audi, filia, et vide, inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum Patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum*. Hugo de S. Victore ait: « Delicatus ille est adhuc, « cui patria dulcis est, fortis autem jam, cui omne « solum patria est, perfectus autem, cui mundus « enilium est. »

15. — Chrysostomus nobis Filii Dei, Patris misericordiarum benignitatem declarat, *Hom.* XLIX in *Matth.*, quia non obstante, quod pessime a Nazarethanis habitus fuerit, attamen iisdem benefacere non omittit, a miraculorum, quæ ab ipso posebantur, patracione abstinendo: « Considera, post « quantam signorum manifestationem ad ipsos « venerit, et ne sic quidem rursus sustinuerint, qui « rursus odio inflammarentur, quocirca nec fecit « signa multa, nec majus supplicium illis accrescere ret. » Verum quidem est, quod in Capharnaum prodigia multa operatus fuerit, verumtamen apud S. Mattheum, xi, 23, Salvator noster ait: *Et tu Capharnaum, nunquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem*. *Psal.* CXXXVIII, 12: *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus*; qui enim majus lumen majoremque Dei notitiam habent, nec tamen illi cooperantur, irremissibilis castigabuntur.

16. — Cajetanus rationem reddit, cur Christus in exordio predicationis suæ ad operandum miracula, in Nazareth non se receperit; nimirum « ut « vel disponenter concives ad credendum, sed « prævaluit invidia; » ac proinde Chrysostomus scribit: « Cum veniret Nazareth, a miraculis abstinet, ne provocaret eos ad majorem livorem. »

Facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.

17. — Albertus Magnus ait: « Patriam suam « vocat hic stricte locum conceptionis et nutritio- « nis; » et ideo, secundum eundem Albertum, Nazarethani dicere voluerunt: Quod si in te charitas est ordinata, prius patriæ, parentibus, compatriotis et aliis benefacito, et postea aliis: « Tui enim, quos debes reputare sicut teipsum, nullis « subjacent defectibus, et indigent beneficiis tuis, « si ergo hæc facis, primo fac circa tuos. » Didacus Stella sequens argumentum adducit: « Si similia « non fecerit, » id est, miracula alibi facta, « apud « suos, videbitur aut non velle, aut non posse;

« quod si nollet, ingratus in patriam suam existeret; « quod si non potest, clarum est, quod excecavit « Capharnaitas suis magicis artibus; hæc erant im- « pie cogitationes Nazarenorum. »

18. — Nazareni quidem Christum increpabant, eo quod nulla inter ipsos miracula operaretur; et tamen potius semetipsos arguere debuissent, qui se ex tot capitibus hæc gratia indignos reddiderant, *Ps.* xx, 12: *Declinaverunt in te mala*. Impiorum etenim hominum proprium est, infortunia et adversitates suas Deo veluti unice cause attribuere, cum tamen illas sibi metipsis fabricarint, et accesserint; lascivus namque et libidinosus, ipsemet morbi illius incurabilis, quo afficitur, faber faili; si aliquam sibi conciliavit capitalem inimicitiam, si jurgia et duella ipsi intenta fuerunt, malam incuset societatem, quæ ad hæc omnia viam straverunt; usurarius ille incarcerationis suæ causam non Deo, sed illicitis suis contractibus et injustis extorsionibus attribuat: « Mala quæ patimur, mala nostra « meruerunt. »

VERSUS 24.

Ait autem: Amen dico vobis: Nemo Propheta accipitur in patria sua.

1. — S. Bonaventura, *Serm.* cii., ait: « Nec « quoad doctrinam, nec quoad vitam, in quibus « Propheta habere consueverunt excellentiam, et « ideo non est mirum, si in patria sua non faciat « miracula, quæ pro ingratis et indignis non sunt « facienda. » Idem S. Josephi Patriarchæ exemplum adducit, qui a fratribus suis divenditus, ab Ægyptiis autem honoratus et exaltatus fuit; Moysis item, qui ab Aarone et Maria, nec non ab omnibus aliis populi sui tribubus, injuriis fuit insignibus affectus.

2. — S. Bernardinus Senensis dubium movet, nimirum qua ratione propositio ista verificetur, cum tamen Moyses et Isaias in Israele summe fuerint honorati et celebrati. S. Franciscus pariter magno in honore suis Assinianus fuit; S. Antonius Ægyptiis valde fuit charus et pretiosus, S. Hilariion quoque in Palestina omnibus fuit acceptus; idemque de aliis Sanctis legitimus. Respondet autem, dictum Christi intelligendum esse, non universaliter, sed *ut plurimum*, et speciatim veritatem suam habet in exordio perfectionis et sanctitatis Sanctorum; « et maxime si in principio fuerunt simplici « statu, vel genite. » Advertit quoque idem Sanctus hoc loco, nomine patriæ domum vel familiam intelligi, in qua Sanctus aliquis natus fuit et educatus; tametsi etiam sæpe de civitatibus verificetur, vel de locis ubi suos fuere sortiti natales.

3. — S. Ambrosius, lib. IV, in *cap.* iv *Luc.*, observat, quod merito se, quo minus in Nazareth miracula patraret, excusaverit: « Ne fortassis ali-

« quis viliores patriae nobis esse debere putaret, affectum; neque enim cives poterat non amare, qui qui amaret omnes, sed ipsi se charitate patriae, « invident, abdicarunt, charitas enim non emulatur, non inflatur; nec tamen exors patria beneficiorum, quod enim majus miraculum, quam « quod in ea, natus est Christus? » id quod de incarnatione et conceptione ejus intelligendum est; siquidem nativitas in Bethlehem facta fuit, id quod sequentibus verbis declarat: « Videte igitur, quid « mali invidia afferat, indigna propter invidiam « patria judicatur, in qua civis operetur, qua digna « fuit, in qua Dei Filius conciperetur. » Enimvero haec gratiarum et miraculorum Christi obex invidia, ab omnibus, in execratione habetur. Chrysostomus, *Serm. XLVII*, dicit: « Inter suos posse, moras est, adustus est; inter cives eminere proximos, mos proximorum erit gloriam. » Dionysius Carthusianus quoque hujus livoris reddidit rationem, dicens: « Homines ut frequenter aegre ferunt, « dum compares sui ipsius preferuntur, et prout « sunt considerare eum, qui excellit secundum id « quod fuit, dum eis similis videbatur; erubescunt « biles sibi arbitrantur, quod familiaris collega « conscius in tantum eis praefulgeat, et hoc verum « est de hominibus, in quibus superbia, invidia, et « passiones ceterae regnant. » Beda aliud quoddam motivum his verbis ponderat, in *cap. XII Matth.*: « Non enim considerant presentia viri opera, sed « fragilem recordantur infantiam, quasi non et « ipsi per eodem aetatis gradum ad maturam aetatem venerint. » S. Thomas hanc habet observationem: « Quando homo est in patria sua, multi « qui cognoscunt infirma sua, semper reducunt in « memoriam infirma, hoc enim est a malitia hominum, ut magis infirma cogitent, quam perfecta. » Chrysostomus, *Hom. XXIV in Joan.*, hunc contemptum consuetudini valde familiari attribuit: « Quoniam consuetudo contemptum parere consuevit. » Et idem Angelicus Doctor alibi ait: « Quos familiariter habemus, minus revereri consuevimus. »

4. — Porro ad hoc, ut vox persuadentis fructum faciat, opus est, ut bonam habeat opinionem et existimationem apud eum, cui est persuasurus. S. Paulus se ab Agrippa libenter audiri sciens et videns, causam suam apud eum acturus, *Act. Apost. XXVI, 2*, seque defensorus, dicit: *Estimo me beatum, quod te, cum sim defensorus me hodie.* Christus ut Apostolorum praedicationem apud auditores suos fructuosam efficeret, hanc eis consolationem reliquit, *Luc., X*, dicens: *Qui vos audit, me audit; at vero in presenti, ut Didacus Stella optime advertit: « Non solum non credebant, sed irridebant eum; non solum ipsum non tanquam Filium Dei venerabantur et aestimabant, sed et hisce verbis, Matth., XIII, 33, ei insultabant: Nomen hic est filius fabri? »*

Apostolus ad Thessalonicenses, *I, IV, 5*, ita scribit: *Rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu, ut, quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambulatis, ut abundantius magis;* quae ultima verba Chrysostomus, *ibid., Hom. X*, haec Glossa exponit: « Ut habeatis « summe pretio Evangelii ministros propter opus « eorum. » Idem quoque alibi, *Hom. XXX in Gen.*, haec Medici similitudine utitur, qui se ab infirmo contemptum nihilque aestimatum videns, curam ejus protinus deserit: « Medicus infirmum videns « suis mandatis non obtemperantem, sed despicientem ea, et vacantem iis, quae morbum faciunt incrementum, infirmum in sua aegritudine « relinquit. » Christo ad hoc, ut miracula sua patret, non sufficere videtur, ut Didacus Stella bene observat, illa in ipso residens miracula faciendi potestas, nisi etiam in iis, qui eum receptorum sunt, correspondentiam et quasi cooperationem quandam inveniat, sicut enim in omni actione naturali non solum requiritur virtus et potentia operativa, verum etiam dispositio materiae: « Nam actus accipientium sunt in patiente bene dispositi; » sic enim licet ignis proprietatis sui ardere, hanc tamen proprietatem actualiter non exequitur, nisi in materia disposita, et ad incendium concipiendum adaptata: ita quoque Deus in miraculis « ut plurimum, » non solum requirit potestatem et omnipotentiam illa operantis, « sed fides etiam et devotio requiritur in illo, qui vult accipere. » Christus quidem virtutem et omnipotentiam in operando infinitam habebat; sed insuper in Nazarenis dispositionem requirebat, et haec illis deerat. Toletus vero adversus jam datam doctrinam, objectionem quandam fieri posse dicit; nimirum quod Salvator noster etiam miracula patrarit apud eos, qui in eum non credebant; unde sequi videtur, « Christum magis punivisse Nazarenos, quam « ceteros. » Antecedens autem constat ex *Matthaei, cap. XII, et cap. VI Marci*, ubi Christus etiam incredulis beneficisse legitur. « Videtur igitur minus « dilexisse suos. » Mox vero idem objectioni satisfaciens, dicit: « Respondeo, et mi fallor, notanda « est responsio haec, nam in hoc plus dilexit suos, « quando enim beneficiis Dei homo abusus est, « majus accipit beneficium, magisque diligit, si « ea illi non conferantur; » adducitque auctoritatem S. Augustini, *tract. XXXVII in Joannem*, ita scribens: « Deum aliquando nos exaudire, dum « non facit quae petimus, nimirum quando ea quae « petimus, novero futura sint nobis. »

5. — Enimvero in hoc facto manifeste patet, quam sit inordinata passio, invidia, Chrysostomus etenim, *Serm. XLVII, Filium Dei*, tum ex sanctitate vitae, tum ex celesti ejus doctrina, quam annuntiabat, tum etiam ex prodigiis, quae operabatur, omnino venerabilem fuisse considerat, « tamen ne in ipso

« videatur Divinitas, Deitas sentiatur, invidia pariter carnalium nomina commonet et divulgat; » nam ad ejus gloriam et Divinitatem obfusandam, eum fabri filium, matrem vero ejus pauperulam esse divulgarent, idque in majus ejus vilipendium et contemptum. Cajetanus Christi in hac occasione exhibitam mansuetudinem commendat, dicens: « Et quia directe dicta fuerunt in dispectionem personae ejus, ideo directe respondet « mansuetissime non esse hoc novum. »

6. — Toletus aliam quandam adducit objectionem, quae hoc loco moveri posset, nimirum, Christus ideo inter suos praedicare et miracula facere destitit, quia suis exosus erat; unde sequi videtur, Christum solum ideo miracula patrasse, ut populi illi spectantis sibi captaret auram et benevolentiam; cui objectioni respondet dicendo, opera Christi in gloriam Patris, tanquam in finem finem directa, et ut se Messiam esse testaretur et manifestaret; pro cujus explicatione nonnullas adducit similitudines, et hanc sequentem inter ceteras: « Sicut si Medicus insignis quaereret et eperet « agnosci ab infirmis, ut sanari vellent ac possent, « et sic Respublica conservaretur, non ambitio, « non vana gloria, sed honesta et commendanda « dilectio est. »

7. — Haec verba religiosos quoque sui officii memores reddunt, ne scilicet nimium habeant erga patriam et nidum, in quo genti fuere, affectum, sed ut alas suas explicent ad alio avolandum, ut variis se populis indifferenter utiles et proficuos efficiant; nam ut Nazianzenus, *Orat. XVIII*, ait: « Una magnis et excelsis viris patria est, nempe « Jerusalem illa, quae mente concipitur. »

8. — Deus, qui per os Prophetarum suorum loquitur, propter quod dicunt: *Hec dicit Dominus, is inquam in principio Prophetiae Isaiae colos terrae, et eum auscultent, invitat: Audite caeli, et auribus percipite terra, quoniam Dominus locutus est.* Quidam vero Deus caelo et terra vult esse persuasum? Idipsum immediate subjungit, dicens: *Filios entrici et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Verum quidem est, omnes Judaeos Deum valde magna afficisse injuria, de Nazarenis vero Judaeis specialiter dici potest, quod ab ipso, filiorum loco habitus et aestimati fuerint, siquidem ex triginta tribus annis, quibus cum hominibus conversatus est, cum Nazarenis triginta solidos annos dimoratus et conversatus fuit; unde si alibi pertransiens omnibus benefecit, quanto id verisimilius facturus fuisset magis et liberalius illis, in hac tanto tempore continuata cum illis mansione, nisi se tali beneficentia omnino reddidissent indignos? *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognovit.* Et ideo Deus ibidem adversus Nazarenos, in individuo et specialissime lamentari videtur, dum subjungit: *Et populus meus non*

intellecit; ex genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filis secleratis, Blasphemaverunt sanctum Israel; super quo percussit vos ultra ad dentes praevocationem? quibus verbis propositum sibi esset declarat, quod illos miraculis suis privare velit, si enim alibi transitu beneficiis, et sanando omnes; hic omnino contrarium praestat. *Qualia fecisti in Capharnaum, fac et hic: omne caput languidum; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus et livor, et plaga tamens non est circum ligata, nec curata medicamine;* nam prout in fine Evangelii dicitur, de monte eum precipitando, necem ei inferre tentarant.

9. — S. Gaudentius, *Serm. IX*, immensa populo Israelis collata beneficia considerans, illud in specie exprimit, quod Nazarenis quam maxime adaptatur, dicens: « Ipse in carne adveniens docuit eos et « instruxit, et verberavit curationum beneficiis; » q. d. ut hosce ingratos quam severissime castigaret, nullum invenit potentius medium, quam si eos beneficiis cumularet. Unde Chrysost., *Hom. XXV in Matth.*, de Hebraeis testatur, dicens: « Judaeos nihil « magis perditioni dedit, quam quod ingrati Deo « esse voluerunt. » Et quidem hoc ingratitude vitium adeo est abominabile, ut non solum Isaias verum etiam Moyses, de Hebraeorum ingratitude lamentari volens, eorum pariter et terram ad se auscultandum invitavit, *Deut., XXXII, 1 et seq.*, dicens: *Audite caeli quae loquor, audiat terra verba oris mei: Generatio prava atque perversa, haec reddis Domino, popule peccatorum!* Et quidem postquam multos a Deo receptos exitimos favore recensisset, quos ingrattissimi contempserant, tandem singulari eum emphasi concludit, dicens: *Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est, innumeraque rigidissima iis comminatur supplicia, prouti loco citato fusius legitur.*

VENIENS 25.

In veritate dico vobis: Multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est caelum annis tribus, et mensibus sex, cum facta esset famis magna in omni terra.

In veritate dico vobis.

1. — S. Ambrosius, *lib. de Viduit.*, ad aliud propositum dicit: « Cum me admoneret Dominus, quod « in veritate dictum sit, ad mysterium videtur « sollicitare aures. » S. Bonaventura super eadem verba ita scribit: « Sermo tuus veritas est, etiam « veritatem dicebat, cui erat credendum, et tamen « non credebant. Unde, *Joan., VIII, 46: Si veritatem « dico vobis, quare non creditis mihi? Et illud, Job., VI, 25: Quare detraquistis sermonibus veritatis. »*

Multae viduae erant in diebus Eliae, etc.

2. — Jansenius nobis causam declarat, cur in-

creata et incarnata Sapientia, hæc exempla adversus Nazarenos allegari: sicut enim Elias et Elisens per varia in Israel patrata miracula Propheta valde illustres, suis ob propria demerita relictis ad externos abeuntes illis benefecerunt, tametsi conterranci ipsorum in pari et forsitan majori necessitate comprehensi essent, ita se per hæc exempla a prava suspitione purgare voluit: « Horum exemplo sese Dominus purgat, idque eo magis, quo significat « hos Prophetas non propria, sed divina voluntate « suis prætermisiss, benefecisse cæteris; » idque in primo exemplo denotavit, quando dicit: *Ad nullam illarum missus est Elias, etc.* Ac proinde hoc loquendi modo se non solum ab omni prava suspitione liberavit, verum etiam ex divinæ voluntatis dispositione fieri demonstravit, quod non nisi illis benefeceret. Insuper considerari hoc loco potest, quod, ex quo Propheta mentionem fecerat in verbis antecedentibus, ut inquit Toletus: « Exemplis Prophetarum duorum confirmat, non solum Prophetas apud suos in pretio non fuisse, sed etiam eos « ob incredulitatem suorum, miracula apud extraneos, suis relictis, fecisse. » Et quidem duobus hisce exemplis totius Hebræi populi stringebat incredulitatem, qui ex omnibus sibi illatis suppliciis et penis nec quidquam fuerat emendatus: « Ut eo « exemplo, patriæ eius suæ infidelitatem magis « taxaret, quæ tot miraculis et doctrina acceptis, « nondum crederet. »

3. — Beda per hanc viduam a qua Elias invitatus fuerat, Ecclesiam intelligit ex gentibus collectam: « Vidua, ad quam Elias missus est, gentium « designat Ecclesiam, quæ a suo diutius conditore « deserta, populum rectæ fidei nescium, quasi pauperem filium egenæ stipe nutriebat. »

4. — Porro qualiter hæc fames in sensu mystico intelligi decebat, Origenes hisce verbis exponit: « Occupante enim fame populum Israel, scilicet « audiendi sermonem Dei; venit Propheta ad viduam, de qua dicitur: *Multi filii desertæ magis, « quam ejus quæ habet virum.* »

5. — Hugo Cardinalis in sensu morali exponit, dicens: « Moraliter per viduam et leprosum signifi- « cantur laici peccatores, diversorum peccatorum « generibus maculati, qui sæpe devotius recipiunt « verbum Dei quam clerici, etiam quam religiosi. »

VERSUS 26.

Et ad nullam illorum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.

1. — S. Bonaventura hunc textum exponens, verba illa Psalmi allegat: *Esurientes et sitientes, anima eorum ipsi deficit.* Etenim Elias ex Samaria in Sareptam se transtulit, ut famem, apud eos utpote famelicos et in gravi necessitate penuria constitutos, sublevaret; quasi Christus dicere vel-

let: Illi gratias et miracula Eliæ merebantur, qui illorum tenebantur desiderio et fame: *Esurientes implevit bonis.* Nazarenæ vero illa ridebant, eademque invidia potius animique livore prosequerantur; aut vero dicere voluit, quod, sicut Elias populo Israel dorsum verterat, ut in Sarepta mulieri eisdem gentili et idololatræ provideret, quæ majori in honore et æstimatione ipsum habebat quam Samaria, et sicut omnibus, quæ Elias ei promiserat, promptissime credebat, et quidquid ab eo illi præceptum fuerat, indilate exequeretur, ita quoque Christus dicere voluit, se Capharnaitas, eo quod se illi obsequiosos et devotos exhibuerunt, suisque miraculis sine ulla difficultate fidem adhibebant, Nazarenis longe antepone; et quod ipsum ludibrio haberent, ab eoque miracula sola curiositatis aliorumque humanorum respectum causa exposcerent.

2. — Lucas Brugensis de hac Sareptana vidua scribit, eam modica, quam habebat, farina libenter se privasse, eamque Eliæ subministrasse, certa cum fiducia se illam multiplicatam esse recepturam: « Tantam fidem conjunctam cum singulari « charitate, cum non inveniret Deum in Israel, post « habitis Israeliticis, misit Prophetam ad Sydoniam viduam, adeo apud Deum plus habet momenti animus quam genus; nec genti largitur « sua munera Deus, sed fides, non carnis propinquitati, sed promptitudini spiritus. » Eodem quoque modo Deus non ad patriam, animos, parentes; sed ad spiritum, fidem et devotionem respexit, ut gratias suas distribueret, suisque miraculis largiretur beneficia.

VERSUS 27.

Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

1. — Salvator noster juxta opinionem Lucæ Brugensis, hæc Eliæ et Elisei exemplo addidit, ut denotaret quod tametsi a compatriotis suis contemneretur, suæ tamen gloriæ exinde nihil decederet: « Quia Deus non sine eorum ignominia æ « pudore alibi ipsum ornare et extollere possit, « sicut olim Prophetis suis honorem dedit in mediis gentibus. »

2. — Porro causa, cur ab Eliseo Propheta ex universo illo numerosissimo populo nullus alius curatus fuerit, in eo posita est, quia nullus erga dictum Prophetam eam præ se fidem tulit, quam Naaman habuit. Unde Lucas Brugensis ait: « Nullus leprosororum Israelitarum tanti Eliseum fecit, « quanti hic alienigena, qui solus religioso officio « studuit sanitati; » hic enim sanitatis infallibiliter subsecuturæ fiducia concepta, prolixum aggressus est iter, muneraque attulit, lumenque ac notitiam

veri Dei sibi comparavit, cum tamen « inter leprosos Israelitas nullus erat, qui vel pedem moveret, « ut Prophetam sanitatis obtinendæ causa adiret. « Cur non rogabat fratres, rogat Ambrosius, non « curabat cives, non sanabat Prophetas consortes, « cum sanaret alienos, sanaret eos, qui observantiam legis et religionis consortium non habebant? nisi quia voluntatis est medicina non generis, et divinum munus votis eligitur, non naturæ jure defertur; discite, Christiane, rogare quod cupias impetrare. »

3. — Naaman Hebræis reprobationem ipsorum improperat, dum gentilis populus ab idololatria cunctorumque aliorum vitiorum lepra mundatus, in locum ipsorum subintrat. Unde Beda de Naaman ait: « Populum demonstrat nationum, quædam perfidia scelerrumque lepra maculosum, sed « per sacramentum baptismatis ab omni mentis et corporis fæditate purgatum. »

4. — S. Bonaventura ex duobus illis exemplis, indignitatem Judæismi respectu gentilium clare demonstrat: « His duobus exemplis ostendit indignitatem Judæorum respectu gentilium, quantum « ad universalem defectum penitentiae et universalem salutem malitiae, quod in Judæis remansit « non curatum, sed in gentilibus est sanatum per Christum. » Porro cælum tribus annis et senis mensibus clausum, gratiæ et doctrinæ Evangelicæ in illo populo denotavit penuriam, quia juste pariter temporis spatium circiter Salvator illis predicavit; at vero: « Non susceperunt pluviam gratiæ, exigentibus peccatis suis, quamvis enim super se veniret imber Judææ, tamen non recepit. Interea « autem temporis militat versus Elias prædicator « ad viduam in Sarepta Sidonis, quæ recte significat gentilitatem. » Demum vero aliam Naamani a lepra mundati historiam prosequitur et declarat mysterium: « Infectio lepræ designat corruptionem malitiae, quæ fuit in omnibus ante adventum Christi secundum illud Psal. xiii, 4: *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt;* ab hac non est curata Judæa. »

5. — Hugo Cardinalis ait: « Peccatum lepræ dicitur, quia inficit, multi sunt hodie leprosi in Israel, id Ecclesia, et tamen nemo mundatur nisi Naaman, qui decor interpretatur, et significat confidentes. Psal. ciii, 4: *Confessionem et decorem induisti.* »

VERSUS 28.

Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.

Repleti sunt omnes.

1. — Valde considerabilis est illa dictio, *omnes*, siquidem quando de servis Dei persequendis contumeliandis et exagitandis agitur, omnes unanimi-

ter ad invicem concordant, tametsi aliis in rebus facile discordes evadant: *Astiterunt Reges terra, et principes convenerunt in unum,* non obstante quod politia et ratio status eos a se invicem dividat, nec unquam animos eorum simul conciliatos esse permitat. Notandum vero est finis, quem unio isthæc sibi propositum habuit: *Adversus Dominum, et adversus Christum ejus: Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* Omnes declinaverunt.

2. — De hoc Judæorum populo, Isa. i, 6, dicitur: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Mira profecto res illa fuit, quod in quadam tot compatriotarum multitudine, nec vel unus partes et causam Filii Dei sustinuerit, aut seculus fuerit. Et quidem culpa eorum ex eo quoque notabiliter aggravatur, quod ita hæc non ex motu quodam primo exorta fuerit, quia vox, *Repleti, ferociam quamdam in illis fuisse declarat,* et exprimit, quam etiam effectus subsecutus satis superque declarat, siquidem ipsum rabie exagitati, præcipientem agere decreverant. Locus quoque ad majorem culpæ ipsorum aggravationem, considerari meretur, in quo hac furia exarserunt, id enim factum est in synagoga, ubi quæta et sedata mente ad audiendum veritatem convenire, eique in mentibus et cordibus suis aditum dare debebant; synagoga enim nihil aliud erat quam schola sapientiæ et virtutis.

3. — Jansenius ait: *Mirabilis sane mutatio,* nam prouti ex ejusdem capituli S. Lucæ verbis, præsens Evangelium antecedentibus satis colligitur: *Omnia in synagoga oculi erant intendentes in eum; omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius;* et tamen ut Jansenius inquit, idem prorursus invidia mox stimulati, vel quia ipsum ob natalium humilitatem contemnebant, vel quia nulla in patria miracula patrare voluerat. « Cum nondum auderent ipsum aperte « incessere, postquam summa cum modestia, atque « admodum civiliter, et se purgasset, et illos increpavit dulcitate notasset et indignitatis, non solum non « receperunt purificationem; nec ad respiciendam « et agnitionem sui morbi sunt commoti, sed mox « deposito penitus erga ipsum animo, invideo mure quorundam non amplius se continent, « omnes in manifestam indignationem accensi « sunt. » Undenam obsecro derivata fuit subita hæc mutatio? Quidnam illos movit, ut in adeo execrabilem se malitiam abripi sinerent? Pro meliori illius intelligentia, consideremus id quod idemmet Auctor dicere porro pergit: « Vide, » inquit, « impietatis magnitudinem; » potius hi Nazarenæ cives, utpote unius patriæ et civitatis cum Christo consortes, innocentem Salvatorem nostrum ex charitatis debito, quo ejusmodi concives ad invicem obstringuntur, ab injuriis et contumeliis ab-

alios malevolis eidem illatis defendere debuissent, maxime quando jam paulo ante in synagoga admirabilem ejus audierant sapientiam, ejusque per universalem regionem perebruerant miracula, quae alibi patrauerat, nec non promplam omnium populorum quos post se velut sapientia sua incatenatos trahebat perspexerant sequelam, ex his enim omnibus ipsi rationabiliter credere et sperare poterant, se quoque tanquam proximos illius concives et compatriotas pari beneficentia afficiendos esse; et tamen: « Primi hi non solum calumniis ipsum « incesserunt, sed extrema etiam injuria afficere « cogitant, et ipso facto tentant, idque Sabbathi « die, quo non putassent licitum vel calcem suere, « vel animal occidere. Tam impolenti scilicet malo « detinebantur, ut nec diei religio, nec ratio amoris debiti civi, vel civi tali, tam in illos benefico, « non retraheret eos a scelere tanto. »

4. — S. Bonaventura in hoc facto illud verificari scribit: « Odio habuerunt corripientem in porta; « propter quod dicitur, *Prov.*, ix, 8: *Noli arguere « derisorem, ne oderit te; argue sapientem, et diligit « te;* unde ex auditu veritatis non sunt eruditi, sed « potius irritati. »

5. — Graecus in Catena hanc iram inde provenisse putat, quod Dominus noster unicusjusque in se ipso cogitatione oculos, malignas et invidias detexerit: « Quia pravam eorum intentionem re- « darguerat, ideo indignatur. » Jansenius ex hoc intolerabilem eorum arguit superbiam, dum ait: « Tam pestilens et impotens malum est superbia, « quod ut non patiatur alios preferri, ita non fere « morbos suos detegi et notari, maxime ab his « quorum gloriae invidet. »

6. — Hugo Cardinalis ait: « Scilicet quod in- « digni erant, ut coram eis faceret miracula; » adducitque illam Tullii de vera amicitia auctoritatem dicens: « Assentatio amicitiam, veritas odium « parit. » *Ecclesiasticus*, xix, 42: *Sicut sagitta in- « fusa femori carnis, sic verbum correctionis scilicet in « corde stulti.*

7. — Lyranus stimulum hunc irae exinde in iis se prodidisse putat, quia scilicet se ab illo gentilibus, quos adeo abominantur, posthaberi audierant: « Quia praeponerat eis gentiles, quos abominantur « sicut canes; » proinde non sine mysterio S. Lucas subiungit: *Hae audientes;* siquidem adductum Eliae et Elisei exemplum audierant, qui relicti Hebraeis, gratias suas adeo liberaliter dispensaverant inter gentiles.

8. — Albertus Magnus hanc inde elicit moralitatem: « Hec audientes ex verbis vite mortem con- « cipiunt. *Prov.*, xv, 42: *Non amat pestilens eum « qui se corripit.* »

9. — Lyranus quoque in sensu morali ita scribit: « Per istos significatur illi, qui praedicatoris verita- « tis persequuntur, eo quod dicunt eis displicentia. »

10. — Porro qualis ira haec fuerit, idipsum Dionysii Carthusiani expositio clare manifestat dicens: « Repleti sunt ira per vitium, quae est inordi- « natus appetitus vindictae; » unde Evangelista versu sequenti dicit:

VERSUS 29.

Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat aedificata, ut precipitarent eum.

1. — Toletus hanc adeo impiam et execrabilem audaciam ponderans dicit: « Quo quidem facta « confirmatur quod Christus illis objiciebat, ni- « mirum illos esse indignos ut apud illos miracula « faceret. »

Et ejecerunt illum extra civitatem.

2. — Dionysius Carthusianus ait: « Id est, tan- « quam reum mortis irreverenter expulerunt; » ipsum namque tanquam blasphemum et sacrilegum mulerant. Nam ut S. Bonaventura ait: « Sic « erat praecipitum: *Educ blasphemum extra castra;* » adeoque in ipso adimpletus sensus parabole illius de vinea, ubi dicitur, quod: *Ejecerunt eum extra vineam.*

3. — S. Ambrosius, in *Luc.*, ait: « Non medio- « criter invidia proditur, quae charitatis oblitia, in « acerba odia causas amoris inflectit; cum enim « ipse Dominus per populos beneficia diffunderet, « illi injurias irrogabant. Nec mirum si perdidit « salutem, quia ejecerunt de suis finibus Salvato- « rem. »

4. — S. Antonius Paduanus, *Serm.* in hoc *ser.*, totam hanc historiam peccatoribus moraliter adaptat dicens: « O quot hodie sunt qui replentur ira, « quia Dei indignatione, quam incurrunt ex pec- « cato; » illi Salvatorem extra civitatem eiciunt qui illum et conscientia sua expellunt: « Consur- « gunt per consensum, eiciunt per opus, praeci- « pant per consuetudinem. Vel surgunt per delec- « tationem, eiciunt per consensum, praecipitant « per opus. »

Et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas, etc.

5. — S. Bonaventura notat stulto huic populo illud sapientis mulieris dictum, II *Reg.*, xx, 49, impropere potuisse, nimirum: *Quare praecipitas hereditatem Domini?*

6. — Albertus Magnus situm civitatis illius non sine mysterio supra monte fuisse observat, dum ait: « In monte enim superbia diaboli aedificave- « runt. *Abdæ*, i, 3: *Superbia cordis tui exaltavit te « habitantem in scissuris petrarum exaltatum so- « lum tuum.* »

Ut precipitarent eum.

7. — Optime Cajetanus ponderat, quod usque ad illud tempus nemo unquam in Christum manus admovere ausus fuerit, licet alias verbis soepe ipsi injuriam intulerint, solos Nazarenos primos fuisse qui id facere praesumpserint; imo alii Hebraei ipsum in tempore Passionis suae ne vel tangere ausi fuissent, nisi a ministris publicis ad faciendum fuissent instigati: « Concives autem proprii furis « acti, ad precipitandum eum de supercilio mon- « tis concurrunt, factoque ducuntur, et non solum « attentant, ut Hierosolymite postea his attenta- « runt lapidare. » Similiter Geraseni licet illis a Christo plquam duorum millium porcorum jactura illata fuisset, nihil tamen adversus ipsum attentare praesumpserunt, sed obsequiose rogaverunt eum ut discederet ab eis: « Nazareni vero nul- « lam passi jacturam precipitare Jesum conantur. »

8. — Toletus illud ab iis non ex zelo, sed ex passione invidiae et odii factum fuisse dicit: « Res- « ponderi potest, vere ira illa, appetitu vindictae « ae invidia commotos fuisse, ut hoc facerent, « praeteruisse tamen blasphemiam, quod se Chris- « tum et Messiam praedicaret. »

9. — S. Bonaventura Bedae auctoritatem introducit, illos diabolo pejores fuisse ostendens: « Quia quod ille tantum dixit verbo: *Mitte te « deorsum;* hoc illi conati sunt facto. » Albertus Magnus qui eandem habet considerationem illum Psalmiste locum, *Psal.* civ, 45, adducit: *Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari;* « Ne enim in eum manus extenderent, « diabolo praecipit. *Job.*, i, 12: *Verumtamen in « eum ne extendas manum tuam.* » Incredulis quidem Hebraeis illis dixit: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere, ille homicida erit ab initio,* verumtamen diabolus eoque in odio suo adversus Christum non processit, ut manibus suis in eum involaret.

10. — Albertus Magnus dicit: « Sic hodie « multi Jesum e supercilio montis per dignitatem « adeptam precipitant. » Qui idem in quoniam praecipitum hoc, quo Filium Dei deorsum e sublimi delurbare staterant, consistat, his verbis declarat: « Quia de eo non curant, sed contem- « nunt. »

11. — Hugo Cardinalis ait: « Heu quam multi « se precipitant de supercilio montis, omnes scilicet « cet qui in dignitatum sublimitatibus positi salu- « tem perdunt. I ad *Tim.*, v, 12: *Nemini manum,* « etc. »

12. — Didaeus Stella ait: « Aspice quam retri- « butionem mundus dat sanctis. *Ps.* lxxvii, 31: *Qui « retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quo- « niam sequor bonitatem.* Et *Jeremias*, xviii, 20: « Nunquid redditor pro bono malum, quia foderunt

« foveam animae meae? Praedicabat Christus, ut eos « a praecipitio inferni liberare; ipsi autem ab alto « civitatis volebant eum precipitare. »

13. — Judei olim a lot saeculis Messiam suum ad se mitti postularant et suspirarunt, cur igitur nunc eum abjiciunt et mortem ei machinantur? Idem Stella causam hujus hanc fuisse respondet, quia nimirum vitia et malos eorum mores semper reprehendebat: « Cam jam advenisset et eorum « mores depravatos et opera reprehenderet, illum « abjiciunt et expellunt, dum Deus illis secunda « donat, dum illis benefacit, eum laudent et praer- « dicant, sed dum illis et eorum moribus adversatur « in illum conviciantur. »

14. — Idem quoque plus auctor aliam quamdam ex hac historia moralitatem deducit, nimirum quod unum peccatum alterius poena existat: « Primo « invidi fuerant, quia Cappharnaitis invidiebat, eo « quod Christus apud eos miracula fecisset; secundo « ambitiosi et honoris cupidi, ideo dicunt: *Fac et « hic in patria tua;* tertio ira fuerant repleti et « Christum voluerunt precipitare; unde fit, ut qui « peccata priora non emendaverit, in alia et alia « majora incidat. »

VERSUS 30.

Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

Ipse autem transiens.

1. — Verbum illud, *Transiens*, quo S. Lucas hic utitur, ob multa quae in se continet mysteria, valde est considerabile, S. Bonaventura quoad sensum litteralem dicit: « Hic notatur declinatio perse- « quentium perfecta, quia fuit sine detentione, sine « impulsionem, sine portatione, unde non poterant « ei violentiam facere. »

2. — Hugo Cardinalis ait: « Ille transitus signi- « ficat recessum a Judeis et transitum ad gentes: « *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quo- « niam repellitistis illud, ecce convertimur ad gentes.* « *Act. Apost.*, xiii, 46. »

3. — Lucas Brugensis ait: « *Transiens per me- « dium illorum*, mutata subito vel obstupefaeta « furentium mente descendit. » S. Ambrosius Christum in hoc facto evidens aliquid divinitatis suae signum edere voluisse existimat. Dicit enim: « Quod a populo modo non tenetur, sed transit, « majestatis est; unde nihil poterat acium virtutis « suae retardare. *Ecce iste venit saliens in montibus,* « *transiens colles.* In Proverbiis dicitur: *Non con- « tristabit justum, quiaquid acciderit ei.* » In Hebraeo *contristari* idem est quod *tangere*. Christus igitur imperturbabilem se ostendit, probavitque in se ipso neminem esse vel pilum contorquere ausum fuisse.

4. — Titus Hostiensis rationem reddit, cur Sal- vator pro illo tempore morti succumbere noluerit: « Non ideo quod crucem fugeret, sed quod tempus

« ad eam idoneum nondum adesset, cœperat enim « jam tunc primum Evangelium disseminare. » S. Bonaventura mortem Redemptori quadruplex insidiarum genus machinatum fuisse dicit. Primo ferro, quo ipsum Herodes e medio tollere statuerat, sed cum adhuc fasciis obvolutus in cunis jaceret; sed vane et incassum id fecit. Secundo per præcipitum, prout in Evangelio presenti; sed irritum etiam effectum. Tertio per lapidationem, prout moliebantur Judæi Hierosolymis facere. Quarto per crucifixionem et hoc mortis genus ab ipso electum sibi quæ gralum erat; siquidem dixit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Beda dicit Christum in hoc facto demonstrare voluisse, quod spontaneæ mortem subiret: « Intellege non ex « necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passio- « nem; nec captum a Judæis, sed a se oblatum, ete- « nim quando vult capitur, quando vult elabatur, « quando vult suspenditur, quando vult non tene- « tur. »

5. — Lucas Brugensis dicit Christum illis tem-
pus indulgere voluisse ad respiciendum: « Quin « etiam malebat adhuc Judæos sanare quam per-
dere, ut inefficaci furoris exitu desinerent velle, « quod implere non possent. »

6. — Didacus Stella ad nostram doctrinam hoc
loco Christi prudentiam admiratur: « Christus « docet, ut adversariis nostris cedamus, et iræ, et « malitiæ illorum locum demus, ut Paulus docet, « ne amplius eos ad iram lacessamus, cum inflam-
mati et accensi sint; » unde quod se subdixerit et
absconderit, non ignavia, sed laudis et gloriæ potius
signum est, id quod sequenti similitudine explica-
tur: « Velut qui a leone et urso saucius fugit, non
« ignominia illi est, sed potius magna prudentia. »

7. — Beda rupem quandam per medium super-
naturaliter divulsam fuisse scribit, ad hoc ut Salva-
tori nostro congruum posset transitum indulgere:
« Illi cedente petra et ipsum suscipiente, ut illi ad
« eum non possent attingere. » S. Antonius de
Padua pariter ait: « Nota quantum ad litteram,
« quomodo rupes divisa est in duas partes et cessit
« Christo, cui dura corda cedere vel acquiescere
« noluerunt. » Historicus quidam Terram sanctam
describens foris extra Nazareth ad partem Australem
locum quemdam esse scribit ab urbe ad qua-
druplicem sagittæ jactum distantem, qui *Saltus
Domini* antiquitus dicebatur, ubi Judæi Salvatorem
præcipitem agere tentarunt: « Sed extens e mani-
« bus eorum, statim inventus est in latere montis
« oppositi, ad jactum arcus et oculo videntur cla-
« rissime corporis illius lineamenta ac vestigia lapidi
« impressa. » Adrichomius idipsum in *Theatro* scri-
bit, cum de tribu Zabulon sub num. 84 scribit,
Lucas Brugensis ait: « Potuissent sane vel hoc solo
« miraculo commoveri ad ipsum suscipiendum,
« nisi saxis duriores se præbuisset. »

8. — Ipse Dominus utique potuisset efficere, ut
quod ipsi machinabantur præcipitum, super ipsum
reapse recideret; efficiendo ut rupes ista sub eorum
pedibus deliceret, sicut hæc rupes ad Salvatorem
recipiendum divisa fuit; at vero, ut Lyranus inquit:
« Non fuit percutiens illos, aut impellens, nec ali-
« quo modo se vindicans in hoc docens prædicatores
« Evangelii, ut non querant vindictam de injuriis
« sibi factis. »

9. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*,
ait: « Hoc Christus nunquam fecit, quia declinando
« ipse per medium nostrum transit, per medium
« inquam nobis indignis beneficia ministrando:
« *Ego autem, inquit, in medio vestrum eum, sicut qui
« ministrat; sed timendum ne transeat per medium
« judicando, separando scilicet in morte animam a
« corpore, corpus verbum, animam ignibus et tor-
« mentis deputando, donec, ut ait Bernardus, infir-
« lici consortio conjungantur acrius puniendo. »*

10. — Didacus Stella duo alia documenta mora-
lia tangit, dum ait: « Deus quandoque aliqua nobis
« superabit, quorum occasione labi possemus, quod
« consilio modo Nazarenis suam presentiam sub-
« trahit, ne graviter delinquerent. »

11. — Alterum documentum est: « Docet locus
« iste, Deum a nobis non abire, nisi nos ipsum
« flagitiis nostris a nobis removeamus, quod in istis
« videmus, apud quos manebat et docebat, et
« mansit, donec illos expulerunt. »

Per medium illorum ibat.

12. — S. Bonaventura verbum *medium* conside-
rans, dicit: « Per medium vadit, quia mediator Dei
« et hominum semper diligit medium; unde:
« *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. »*

13. — Cajetanus in ea est opinio, quod
Christus mox ut ad montis verticem pervenit, om-
nibus illis se invisibilem reddiderit, ideoque postea
libere per medium ipsorum sine periculo transie-
rit: « Ivi quo voluit, remanentibus istis delusis, ut
« vel sic occasionem resipiscentiæ haberent. »

14. — Albertus Magnus ait: « Ibat invisibilis
« eis, percussis enim sunt acrisia; » datque exem-
plum in Sodomitis illis, qui fores Lothi venire non
valebant. Dionysius Carthusianus exemplum hori
adducit, ubi omnes mox ut dixit: *Ego sum*, velut
extra se positos in terram prostravit. Albertus
Magnus igitur rem hanc ita prosequitur: « Dicitur
« autem quod de monte descendens mox sedens
« sinum fecit et eum in se recepit, ita ut usque
« hodie vestigia vestimentorum et pedum appa-
« reant in lapide. *Prov., xii, 13: Effugiet justus de
« angustia. »*

15. — S. Bonaventura verbum illud, *Ibat*, ita
exponit: « Ad ostendendum, quod non fuit volen-
« tia vectionis; subditur, *Ibat*; scilicet propria vir-
« tute, sicut animalia, de quibus in Ezechiele dici-

« tur, quod ibant et revertentur. Ibat scilicet in
« præcepis, se descendebat. » Lucas illud hæc ver-
bis ad virum exprimit: « Ibat illesus, securus,
« intrepidus sine vi, sine fuga, sine festinatione,
« servata grossus gravitate, quasi non inter medios
« hostes constitutus, hæc enim vis verborum est,
« evasit ab eis ita libere, ut ipsimet nescirent, quo
« pacto e manibus eorum elaberetur, an constrin-
« geret ipsorum manus, an oculos percuteret, an
« stupefaceret mentes et corda. »

16. — Ecce igitur quantopere verum sit, quod
Expectat Dominus ut misereatur vestri; tunc enim

quando vel maxime ad se vindicandum manum
suam extendere debet ad justitiam, ut impius et
sacerilegos illos perderet, ipse de eorum salute vel
maxime sollicitus fuit. Hugo Cardinalis proinde ait:
« Illorum mente mutata, vel subito obstupefacta
« descendit, quia adhuc illis penitentia reser-
« vat. »

17. — Idem purpuratus Doctor in sensu morali
dicit: « Per medium præcipitantiū itur per con-
« siliū maturitatem. *Prov., xiii, 16: Astutus omnia
« agit cum consilio; per medium lapidantiū itur
« per mansuetudinem. »*

FERIA TERTIA POST TERTIAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XVIII, VERS. 15

15. Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripue eum, inter te et ipsum solum.

16. Si te audierit, lucratus erit fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhuc tecum
adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

17. Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut
ethnicus et publicanus.

18. Amen dico vobis, quæcumque alligeritis super terram erunt ligata et in cælo, et
quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cælo.

19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re
quæcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cælis est.

20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

21. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et
dimittam ei? Usque septies? Dixit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies
septies.

VERSUS 15.

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripue eum
inter te et ipsum solum.

Si peccaverit.

1. — Inter sacros Interpretes non satis convenit,
de quali offensa vel culpa Dominus nosler hoc loco
loquatur. Inferlinearis legit: « Si injuria vel conta-
« melia affecerit. » S. Anselmus pariter ita exponit:
Quasi dicat: « Noli contemnere pusillum, sed si
« peccaverit in te faciendo tibi injuriam, labora
« adeo de salute illius, quod prius corripias per te,
« postea per alios. » Jansenius eandem opinionem
affert. SS. Augustinus, Hieronymus et Chrysostomus
quoque hanc opinionem majorem probabilitatem
habere existimant; siquidem postquam S. Petrus,
Matth., xviii, 12, Christum interrogasset: *Quoties
peccabit in me frater meus et dimittam ei?* Christus
protinus parabolas de decem millibus talentorum,
ad injuriam remissionem ordinatam subnixit.
Hæc quoque opinio ex textu S. Lucæ deduci posse

videtur, ubi dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus,
inrepa illum et si penitentiam egerit dimitte illi;*
« cui læso, » inquit Jansenius, « duplici sane
« nomine, præ aliis, convenit frater peccantis et
« lædenti eum correptio, nimirum tum quod ei
« fratrum peccatum est notius, ac ipsum magis
« urit, tum quod ejus fraterna admonitio effecior
« possit esse apud eum, qui læsit, cum viderit
« etiam illum salutis tuæ studiosum, cui injuriam
« intulit. » Ecce tibi quousque charitas Christiani
hominis pertingat, ut etiam injurias beneficiis com-
penset; Senecæ sententia est: « Si magnanimitas
« fueris nunquam judicabis tibi contumeliam fieri.
« De conviciante dices: Animum nocendi habuit,
« mihi non nocuit; » et quidem si illatam nobis
injuriam non solum æquanimiter toleraverimus,
verum insuper solliciti fuerimus de salute illius, qui
nos offendit, animamque ejus lucrati fuerimus, in
tali casu injuriam nobis minime nocuisse, quan-
tumvis atrox fuerit, inferius monstrabimus. *Lucratus
eris fratrem tuum.*

2. — Alia opinio, quæ etiam multos habet sec-